



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecumenici Concilii Tridentini, Pavlo III.
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et
Decreta**

Tridentinum <1545-1563, Trient>

Coloniae, 1615

Acclamationes Patrum in fine Concilij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42415

b Iuxta
Gelaf Pa-
pa super
Concil.
Chalced.
& Pelag.
pp. 7. in e-
pist. decr.
& Mar-
cel. in ep.
decreta.
ad Epif.
Antioch.
prouin &
Concil.
Chalced.
Act. 7. &
Nicol. 1.
apud Gra-
tianum
d. 19. Si
Roma-
norum.

Pontificibus, in ea decreta, & definita sunt, b confirmatio nomine sanctæ huius Synodi per Apostolicæ Sedis legatos, & Præsidentes à Beatissimo Romano Pont. petatur. Responderunt. Placet.

Postmodum Illustrissimus & Reuerendissimus Cardinalis Moronus, primus Legatus & Præsiciens benedicens sanctæ Synodo, dixit: **POST GRATIAS DEO ACTAS REVERENDISSIMI PATRES ITE IN PACE.** Qui responderunt: Amen.

ACCLAMATIONES PATRVM IN FINE CONCILII.

Cardinalis à Lotharingia.

Beatissimo Pio Papæ, & Domino nostro, sanctæ Vniuersalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni, & æterna memoria.

Responsio Patrum.

Domine Deus, Sanctissimum Patrem diutissimè Ecclesiæ tuæ conserua multos annos.

Card.

Card. Beatissimorum summorum Pontificum animabus, Pauli III. & Iulij III. quorum auctoritate hoc sacrum generale Concilium inchoatum est, pax à Domino, & æterna gloria, atque felicitas in luce sanctorum.

Resp. Memoria in Benedictione sit.

Card. Caroli V. Imperatoris, & Serenissimorum Regum, qui hoc vniuersale Concilium promouerunt, & protexerunt, memoria in benedictione sit.

Resp. Amen, Amen.

Card. Serenissimo Imperatori Ferdinando, semper Augusto, orthodoxo, & pacifico, & omnibus Regibus, Rebuspub. & Principibus nostris, multi anni.

Resp. Pium, & Christianum Imperatorem Domine conserua: Imperator cælestis terrenos Reges, rectæ fidei conseruatores, custodi.

Card. Apostolicæ Romanæ Sedis Legatis, & in hac Synodo Præsidentibus, cum multis annis magnæ gratiæ.

Resp. Magnæ gratiæ: Dominus retribuat.

Card. Sanctissimis Cardinalibus, & Illustribus Oratoribus.

Resp. Magnas gratias, multos annos.
 Card. Sanctissimis Episcopis vita, & felix
 ad ecclesias suas reditus.

Resp. Preconibus veritatis perpetua me-
 moria: Orthodoxo Senatui mul-
 tos annos.

Card. Sacrosancta oecumenica Tridenti-
 na Synodus: eius fidem confitea-
 mur, eius decreta semper serue-
 mus.

Resp. Semper confiteamur, semper ser-
 uemus.

Card. Omnes ita credimus: omnes idip-
 sum sentimus: omnes confitea-
 tes, & amplectentes subscribimus.
 Hæc est fides B Petri, & Apostolo-
 rum: hæc est fides Patrum: hæc est
 fides Orthodoxorum.

Resp. Ita credimus: ita sentimus: ita
 subscribimus.

Card. His decretis inherentes, digni red-
 damur misericordijs, & gratia pri-
 mi, & magni supremi Sacerdotis
 Iesu Christi Dei, intercedente si-
 mul inuiolata Domina nostra
 sancta Deipara, & omnibus San-
 ctis.

Resp. Fiat, fiat. Amen, Amen.

Card. Anathema cunctis hæreticis.

Resp. Anathema, Anathema.

Post.

Posthæc mādatum fuit à Legatis, & Præ-
 fidentibus sub pœna excommuni-
 cationis omnibus Patribus, vt, an-
 tequam discederent è ciuitate Tri-
 dentina, subscriberent manu pro-
 pria decretis Concilij, aut ea per
 publicum instrumētum approba-
 rēt, qui omnes deinde subscripse-
 runt, & fuerunt numero 255. vide-
 licet, Legati 4. Cardinales 2. Patri-
 chæ 3. Archiepiscopi 25. Episcopi
 168. Abbates 7. Procuratores ab-
 sentium cum legitimo mandato
 39, Generales Ordinum 7.

LAVS DEO,

*Concordat cum originali: in cuius fidem
 subscripsimus.*

Ego Angelus Massarellus, Episcopus
 Thelesinus, sacri Concilij Tridentini
 Secretarius.

Ego Marcus Antonius Peregrinus, Co-
 mensis, eiusdem Concilij Notarius.

Ego Cynthius Pamphilus, Clericus Ca-
 merinensis diœcesis, eiusdem Conci-
 lij Notarius.